

berg  
7  
96





1928 K 944

454

DE

PHILOSOPHIA VIRTUTIS MATRE.

DISPVATIO PHILOSOPHICA

QVAM

PRAESIDE

IOANNE DANIELE TITIO

PHYSICES PROF. PVBL. ORD. FACVLTATIS PHILOS. SENIORE, SOCIET.  
OECON. LIPSIENS. ET BAVAR. LIBERAL. ART. LIPS. ET IMP. AVGVST.  
SOC. LAT. ET TEVT. IENENS. TEVT. ERLANG. ET ANHALT.  
SOD. HON.

D. XII. SEPTEMBRIS MDCCCCLXXXV

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES CAROLVS HENRICVS DE ZOBEL

PHILOSOPHIAE ET LIBERALIVM ARTIVM MAGISTER  
AC REVER. MINISTERII CANDIDATVS

VITEMBERGAE  
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

1495

7/12a

AB



*O vitae philosophia dux, o virtutis indagatrix! — —  
Est unus dies, bene et ex praeceptis tuis actus, peccanti immortalitati anse-  
ponendus; cuius potius opibus utamur, quam tuis? quae et vitae tranqui-  
litem largita nobis es, et errorem mortis sustulisti.*

CICERO.

PERILLVSTRI AC GENEROSISSIMO

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS

SAXONIAE

IN

SENATV ECCLESIASTICO SVPREMO

P R A E S I D I

ET

C O N S I L I A R I I S

MAGNIFICIS SVMME VENERABILIBVS

ILLVSTRIBVS CONSVLTISSIMIS SPLENDIDISSIMISQVE

PATRONIS PIE VENERANDIS

HOC

PRIMUM DILIGENTIAE PERICULUM

D. D. D.

ILLISQUE

RES SPESQUE SVAS SVSCIPIENDAS

DEMISSISSE TRADIT

PERPETVO OBSEQVIO

ADDICTISSIMVS

A V C T O R.




DE  
PHILOSOPHIA VIRTUTIS MATRE.

**P**hilosophiam, cuius nomen iam iucundi quid inuoluere videtur, quamque olim de coelo vocasse putabant *Socratem*, omnium quasi disciplinarum esse matrem, nemo erit omnino, qui negare velit, praesertim si rationis culturam magni esse momenti existimauerit. Nemo ideo eruditorum carere illa facile poterit, nisi qui de pane lucrando modo est sollicitus, cum in omnibus nos adiuuet, nobisque commoda creet exoptatissima. Iam hoc ethnicorum olim senserunt doctores, multumque laudis philosophiae, quam sapientiae vocarunt studium, tribuerunt. CICERO enim *nilil praestantius, nihil homini optabilius, eoque dignius censet*; a) et SENECA, si in aliquo loco b) eandem

A 3

a) Vide de Officiis II, 2. -- „Quid enim est, per Deos, oprabilius sapientia? Quid praestantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hanc igitur qui experunt, philosophi nominantur.“

b) Scilicet in Epist. 16 his verbis: -- -- „Neminem posse beare viuere, ne tolerabiliter quidem, sine sapientiae studio: et beatam vitam perfecta sapientia effici, ceterum tolerabilem etiam inchoara.“




necessariam esse dicit cuius, qui felicem velit degere vitam, idem statuere videtur. Haec fere semper ita se habuerunt, ut philosophiae multum adscriberent dignitatis, ac negari quoque nequit, partim adeo plus, partim vero pro temporis ratione minus quoque ei fuisse tributum. Hocce autem vitium, quo philosophiae vel tanquam desuper missae plus, vel tanquam a viris modo doctis excogitatae minus iusto tribuerent, inde sane est deducendum, quod fere semper hucusque non perspicue traderent sapientiae doctores, aut adeo ipsi ignorant, quid ad illam esset referendum, quive ipsius summus esset finis. *Sapientiam* autem s. *philosophiam*, quae voces synonymice usurpantur, *diuinarum et humanarum rerum, causarumque, quibus haec res continentur, esse scientiam*, iam ante *Ciceronem* a veteribus philosophis est pronuntiata. Quam diversimodam haec definitio admittat explicationem, vix est, quod addam, quum iam plures id apertius contenderent, dum scilicet non satis distingui potest, quid pertineat ad diuinas, quidque ad res humanas; dumque philosophia secundum hanc definitionem perferenda sibi sumit, quae a nobis diligentius observari et inuestigari plane non possunt. Sed haec *ὡς ἐν παροδοῖς*. Efficere his potius volumus, quinam sit vel fuerit maxime istius philosophiae finis. Is autem in eo maxime cerni videtur, ut diuinus augeatur honor, atque hominum perficiatur felicitas. Hic autem finis, quem et recentioris aetatis philosophi non respuunt, non admitti potest, ut nobis videtur, *duplici* de causa. Quod enim *primum* ad honorem attinet diuinum, nemo sane erit, qui contendat, cum augeri vnquam posse, cum Summum Numen nulla indigeat perfectione. Est enim perfectissimum, nobis.



nobisque longe superius. Sufeiperemus igitur duce philosophia ali-  
 quid, quod effici nunquam potest, atque respiceremus aperte ea, quae  
 illa nobis dilucide obseruanda praecipit. Sin *alterum* spectaris, quo per-  
 fectionem humanam summum nostrum studium ex philosophiae praecep-  
 tis esse censemus, luculenter apparebit, omnia redire ad *Φιλαυτιαν*,  
 nosque omnia ad promouenda nostra commoda suscipere, quae bene  
 peragenda esse putamus. En! quatenam haec esset virtus! Atque in  
 his tamen quaerendam esse putant virtutem, vt diuinus augetur ho-  
 nor, nostraque perficiatur felicitas! Si haec vere efficeret vera philo-  
 sophia, abiicienda negligendaque potius esset, quam colenda et vene-  
 randa; namque, dum nobis nostrae maxime commendaret felicitatis  
 studium, negligendam esse virtutem simul nobis praeciperet, atque  
 sic non limpidae puraeque instar esset philosophia aquae, in qua no-  
 stram imaginem intueri possumus, *sed turbidi potius fluminis, limum coe-*  
*rumque uehantis*. Nobis autem maxime est persuasum, philosophiam  
 tamquam in speculo homini suam ostendere naturam pariter ac essen-  
 tiam, ideoque optime efficere, vt virtuti studere possit. Neque dubi-  
 tauerimus, quin aliam hac in re quis posset eligere viam, sed sola mo-  
 do philosophia hoc virtutis studium effici ex nostra potest sententia.

## §. 2.

**H**aec cum multis forsan minus recte se habere, atque a nobis plu-  
 ra, quam philosophiae insint, tribui ei videri possint; nostrum sane  
 est, haec, quae diximus, suffulcire argumentis, cum res, per se specta-  
 ta, digna sane vltiori sit consideratione. Qua de re sententiam no-  
 stram:



fram: philosophiam scilicet esse virtutis matrem, s. eam modo, ut virtuti studere possimus, efficere, diligentius inuestigemus, atque, ut rite hac in re versetur, neque obscuritas quaedam hic intercedat, primum quaedam de philosophia in uniuersum, maximeque eiusdem notione, quatenus ad rem nostram pertinet haec disquisitio, pariter ac de verae virtutis notione, pauca praefari liceat; ac deinde paullo accuratius rem nostram perpendere, atque, quantum a nobis fieri potest, ostendere apud nos constitauimus, quomodo sola philosophia virtutis studium effici possit. His rite expositis, putamus, nostram causam nullis amplius expositam fore dubitationibus.

§. 3.

Nisi igitur omnia me fallunt, philosophiae usus, hominibus ad bene beateque vivendum tam salutaris, hucusque sapientiae doctoribus catenus nondum satis innotuit, quatenus non satis accurate definiunt, quid esset philosophia, quaeque eiusdem essent partes, aut quaenam ad illam rite essent referenda. Etsi enim in omnibus iis definitionibus, quae de philosophia sunt traditae, semper aliquid fuerit veri insertum, tamen vel fuere *hypotheticae*, v. c. ea, qua cognitio diuinarum ac humanarum rerum esse dicitur, aut scientia de anima, mundo ac Deo, et quae sunt eiusmodi aliae; vel *nimis latae*, v. c. ea, qua philosophia sit scientia humanae naturae, seu cognitio scientifica naturae, proprietatumque rerum naturalium; vel *nimis denique angustae*, ut qua scientiam esse dicunt philosophiam immutabilis rerum nexus, seu scientiam rationalem, conceptibus nobis comparatam. c)

c) Conferri possunt in hanc rem, quae exposuit Excell. HEYDENREICH  
in:

tur philosophiae tribuebant quasdam disquisitiones, quae, nisi migrare  
 velis facultatis nostrae repraesentandi fines, locum plane habere non  
 possunt. Sic v. c. ex iis, quas priori loco attulimus, definitionibus  
 apparet, cognitionem de Deo animoque nostro per eam posse compa-  
 rari, quae tamen ne cogitari quidem potest, cum nostra de Deo ani-  
 moque nostro cognitio tunc in rebus, captum nostrum superantibus,  
 versaretur. Et si bene quidem scio, a philosophis haec pariter, ac  
 philologis acutissime fuisse explicata, tamen per res diuinas Deum  
 semper resque a Deo conditas vnanimiter intelligendas esse statue-  
 runt. d) Atque eo magis sibi contradicere videntur, *qui obiectiue spe-*  
*ctatam philosophiam complexum veritatum, ex ratione cognitarum, seu*  
*ratione sola cognitarum, esse censent; subiectiue autem sumtam eam*  
*mentis esse dicunt dotem, qua homo eas, quibus res diuinae humanaeque*  
*continentur, causas distincte accurateque norit.* e) Partim vero etiam  
 olim philosophi plures ad philosophiam pertinere, inscii quidem for-  
 san, disciplinas docuerunt, cum philosophiae ex ipsorum inente no-  
 tio plura complecteretur, quam ei inesse ipsi voluerunt, cum v. c.  
 posita supra lata nimis definitio, esse scilicet philosophiam humanae  
 naturae scientiam, physicae ac medicae disciplinae simul immisce-  
 ret

in: *seiner encyclopädischen Einleitung in das Studium der Philosophie etc.*  
*Leipzig 1793. pag. 39 sqq. Drittes Kapitel.*

d) Vide v. c. HOLLMANNI *Institutiones philosophicas*, pag. 7. §. 13. BAY-  
 MEISTERI *Elementa philosophiae recentioris*; in *prolegom. de philosophia*,  
 pag. 5. §. 9. not. subj.

e) Id quod fecit BAYMEISTERVS loc. not. super. laud.



ret notiones. *Partim* denique etiam vnam alteramue modo definiunt philosophiae partem, sicque incertam dubiamque totam rem sat grauis momenti reddiderunt.

§. 4.

**H**aec si diligenter inspiciamus, multa sane iis inesse, fatendum est, cur hucusque scientia ista omnibus praeslantior maximeque nobis salutaris non magis indies creuerit. Non enim verbis modo, ipsorumque ambiguitate ac obscuritate, sed re ipsa inter se discreparunt philosophi, etsi magnos multosque ipsius scientiae commentarios conscripserunt. Omnia autem redire ad plenam, distinctam finesque haud migrantem explicationem, vel definitionem, si rite super aliquam rem velis disputare, non est fere, quod addam, nisi hac ipsa in re multa commississent vitia. Nimis enim liberalis is nobis esse videtur, qui putat, parum interesse, quomodo definitionem ponamus accuratam, atque hic nos in verbis faciles esse posse, modo in re ipsa conueniamus. In ipsa enim re conuenire nos neutiquam posse contendimus, nisi aliis declarauerimus, quid de re in vniuersum sit tenendum, de qua disputatur, quaeque ad ipsam sint referenda. Summum igitur nobis esse debere putamus hoc, vt constituamus philosophiae definitionem; atque haec ita comparata sit necesse est, vt non solum cognoscendi fundamentum, obiectum ipsius cognoscendi rationem, sed etiam finem ipsum indicet; his ex nostra sententia omnia comprehenduntur, quae in omni philosophia pertractantur ac disquiruntur. f) Quam rationem si semper secuti essent, neque teme-

re

f) Non inepta nobis ideo videntur, quae Excell. HEYDENREICH libr. not. c. lauda-

re in ipsam philosophiam multa intulissent philosophi, certe tot tantaque defuissent quoque dissidia. Ideoque et hi minus recte philosophantur, qui definitionem alicuius rei, maxime vero scientiae, quae, uti nostra, omnibus esse debet grauis magnique momenti, prius constituere conantur, quam omnis omnino res satis est determinata. Experientia enim iam satis docuit, semper isti aliquid fuisse adiunctum, dignum sane, quod in definitionem reciperetur, atque adeo id efficiens, ut latior constituenda esset definitio, quam quae iam constituta fuerat. Notio enim vniuscuiuscunque rei manca incompletaque sit necesse est, nisi antea certiores ipsi sumus facti, quinam sint istius fines. Hoc mihi negare videtur Excell. FICHTE, qui antea iam nomen notionemque suae dederat philosophiae, antequam determinauerat, quanam ad illam essent referenda. g)

## §. 5.

Ex iis autem, quos recentissimis temporibus in philosophia fecerunt profectus, sperare certissime licet, poni posse plenam philosophiae notionem ac definitionem. Quamquam enim multa, — quod celeberrimi quoque negare nequeunt philosophi — superiunt, quae maiore indigeant probatione, quaeque nondum satis sint determinata, tamen

B 2

ex laudato pag. 28. §. 6. posuit, de constitutione finitionis cuiuscunque scientiae.

g) Excell. FICHTE enim in libello: *Ueber den Begriff der Wissenschaftslehre, oder der sogenannten Philosophie* etc. qui anno prodiit praeterito pag. 9 ita scribit: *So unsere eben beschriebene Wissenschaft — — — Jetzt ist nicht davon die Frage, sondern davon, was wir eigentlich machen wollen; und das bestimmt unsere Definition.*



ex nostra mente fines satis sunt definiti, ultra quos progredi non licet, nisi aliena, philosophiae nomine indigna, inferere ei velis. Aedificium scilicet plane est exstructum, apteque composita determinataque sunt conclavia, in ordinanda modo hac, illaue supellectile quaedam adhuc supersunt. Qua de re nulli dubitauimus, quin et nos certam nunc constituere possemus definitionem, cum iam sit satis euictum, quodnam sit ipsius cognoscendi fundamentum, quodnam eius obiectum, quaenam ei sit cognoscendi ratio, et quemnam sibi propofuerit denique finem. h) Haec si omnia in constituenda philosophiae notione coniungimus; nobis philosophia nihil aliud erit, nisi: *humanae naturae scientia, quatenus ipsa per facultates, sui conscientia determinatas, intelligitur.*

## §. 6.

Ex his igitur, quae haecenus de notione philosophiae in vniuersum diximus, facile apparebit, quaenam ei sint adscribenda. Scilicet modo ea huc referri possunt, quae intelligere licet per facultates nostrae mentis, quae sunt vel repraesentationum, vel appetitus, vel denique sensus

h) Adeas hunc in finem recentissimae aetatis philosophos, maxime vero, quae praeter KANTIVM scripsit REINHOLDVS in libro notissimo: *Versuch einer Theorie des menschl. Vorst. Verm.* etc. atque quibus perfectiorem illum reddere studuit, in: *seinen Beyträgen zur Berichtigung bisheriger Mißverständnisse* etc. II. Tomis, et in praeclaro quoque opusculo: *Ueber das Fundament des philos. Wissens.* Atque ea quoque, quae in lucem edidit Excell. IAKOB, quae mihi aliis multis praeferenda esse videntur.

sensus facultates. Quae ad repraesentationes pertinet, facultatem complectitur *philosophiae theoretica pars*, quae modo in eo versatur, ut rationis facultas cognoscendi magis magisque extendatur, dum rite per legitimam repraesentationum constitutionem indicatur, quae nam nobis, sensualitati puta nostrae, offerantur, aut quae a nobis in vniuersum cogitari possint. Quae ad nostram mentem relatae repraesentationes, seu ipsa cognitionum nostrarum relatio *practicam* efficiunt *philosophiae partem*, qua ratio nostra, certis principiis practicis ducta, sibi ipsa praescribit, quatenam sint agenda, quaeque omittenda.

## §. 7.

Atque haec iam satis, nisi fallor, docuerunt, quatenam nostra sit de philosophia, eiusdem obiecto et fine sententia; neque plura, hac quidem de re, adicienda esse putamus, ut viam nobis muniamus ad probandam, quam nobis proposuimus, sententiam. Sed antequam hoc rite fieri possit, quaedam ponenda nobis esse videntur de eo: *quid sit virtus*, cum, maxime omnia ad certam illius definitionem redire, nobis habeamus persuasum, cumque ab omni fere tempore virtutis notio non satis dilucide sit exposita, ei potius multa iam fuerint admixta, quae ex ea demum profluere putamus. Neminem enim fugiet, quantus fere omni tempore fuerit abusus in praeclarae virtutis nomine praedicando. Ex omnium quidem ore hanc percipimus sententiam: virtuti esse studendum, sed simul dolendam est, plurimos illorum doctorum ipsos ignorare, quid sit virtus, ac quomodo ad eam peruenire liceat. Virtutem felicitatemque non raro synonymice



pronunciant, illamque cum huius studio simul commendare haud dubitant. Quae cum ita sint, non inane quid nos esse suscepturos speramus, si ante omnia nostram, ab aliis quidem acceptam, constituamus sententiam. Antequam vero hoc fiat, nonnullas veterum opiniones hac de re liceat proponere, ut quilibet videre possit, num et quatenus nostra ab illorum differat sententia.

Miratu sane iam digna sunt, quae CICERO noster hac de re describit, et quae ipse virtuti tribuit. In loco enim insigni, ex *disputationibus Tusculanis*, i) quas semper ob mirabilem praestantiam summa cum animi voluptate legi, petito, virtus ei est *affectio animi constans conveniensque, laudabilis efficiens eos, in quibus est, et ipsa per se sua sponte, separata etiam utilitate, laudabilis; ex ea, addit, proficiuntur honestae voluntates, sententiae, actiones omnisque recta ratio*. Conspirat hac in re optime cum CICERONE nostro SENECA, qui eandem virtutem *veram esse felicitatem dicit, et ad beate vivendum sufficientem*. k) Atque sententia omnium illorum antiquae aetatis doctorum sapientiae haec fuit de virtute eximia; contendunt enim omnes, eam se

i) Locus ipse extat *Disp. Tusc. lib. IV. cap. 15. edit. Wolf. p. 189. Habes sane in illo loco praeclaram virtutis descriptionem, si ea, quae praecedunt, rite cum his volueris coniungere. Dicit enim Noster statim ab initio huius capituli: Pleraque quaestiones, quae ad vitam, moresque pertinent, a virtutis fonte ducuntur. Atque cum his compares, quae leguntur in LUCYLLO p. m. 45. Virtus nulla esse potest, nisi eris gratuita, nam, quae voluptate quasi mercede aliqua ad officium impellitur, ea non est virtus, sed fallax imitatio simulatioque virtutis.*

k) Vide Eius libellam *de vita beata*, cap. XVI.



ipsa contentam ad bene beateque viuendum, eam semper liberam, semper inuictam, seu per amabilem, semperque claram aeternamque esse habendam. Attamen haec, qualiacunque sint, neququam efficiunt descriptionem aut definitionem verae virtutis, etsi iam multa continent, quae veri speciem prae se ferunt. In definitione Ciceroniana nempe non indicatur modus, quo honestae voluntates, sententiae etc. efficiantur, neque quomodo virtus ad bene beateque viuendum sufficiat. Neque rectius se habet, quam posuit CICERO alio loco, l) definitio, in quo *eam habitum animi esse dicit naturae modo rationi consentaneum.*

§. 8. Cam negari non poterit, illorum, quos attulimus, doctorum ethnicorum sententiam de virtute non parum esse diligenter exeogitam, seruatunt eam ex parte nostri, sed tamen ita, vt ad nostra accommodarent christianorum tempora. Sed, qui nostrorum magis accurate hac in re versabantur, ita eam definiunt, vt esset *amor rationis, aut constantis animi propositum, vitam ad legem componendi, s. studium, se et suas actiones ad voluntatem Numinis componendi.* m) Respuit idem, cuius haec est virtutis definitio. BYBDEVS illam, qua virtutem olim esse censuerunt modum, *perueniendi ad summum bonum; per naturam enim, addit, nemo virtutem habet, quo pacto per virtutem summam obtinebit felicitatem.* n)

l) Scilicet in libro: *de Inuestitione* II. cap. 53.

m) Vide I. F. BYBDEI *Elementa philos. practicae*, Part. I. §. LI. p. 146.

n) Confer. Eiusdem *Institutio Theologiae moral.* Part. I. cap. I. Sect. IV. §. CXXV.



te ipsam explicare tentarunt. *Habitu* quidem *virtutem* esse dicunt, *actiones nostras legi naturae conuenienter insitendi*; his vero addunt non externa niti honestate *virtutem*, *usu* potius, ac *continenti* *exercitatione* eam esse comparandam, eamque maxime cerni in eo, vt quisque suum perficiat statum. o) In his igitur, quas nunc attulimus, quasque hucusque, paucis modo, quae ad rem non multum faciunt, mutatis, philosophi pariter ac theologi constanter sunt secuti, quorum autem nomina hic enumerare non multum interest, in his inquam definitionibus *partim* accurata nobis deesse videtur declaratio, quid *lex* sit, s. *voluntas diuina*, ad quam componendae nostrae sint actiones; *partim* vero etiam vel plane non, vel saltem minus recte, ex nostra quidem sententia, indicatur finis. Haec omnia verae virtutis definitioni inesse debere, etiam atque etiam contendimus.

## §. 9.

Operam igitur dabimus, vt eiusmodi constituamus virtutis notionem, quae nullam lectoribus relinquat dubitationem. Ponamus igitur: *virtutem indigere lege*, quae rectas nobis praescribat actiones, quod negari non potest; ideoque videndum primum est, quanam sit ea lex, quomodoque nobis sit patefacta, ac vtrum sit mutabilis, vel per se

subsi-

§. CXXV. nota subj. Huc etiam ea pertinent, quae de definitione: *virtutem esse habitum electiuum consistentem in mediocritate, frequentique bonarum actionum exercitio comparatum*, paragraph. sequenti scilicet CXXVI. nota profert, in qua PLATONIS in *Menone* vtitur sententia ad rem suam rite probandam: *Virtutem neque natura, neque doctrina, neque exercitatione parari, sed esse Dei donum.*

o) Inter alios numerandus hic est BAYMEIS TERVS in *Elementis philof. recent.*

subsistens. Haec omnia liceat nobis, quantum fieri hic debet ac potest, vberius explicare. *Hominem scilicet si spectas paullo diligentius, inesse ei obseruabis facultatem diiudicandi aliorum bene vel male facta, eaque vel probandi, vel reiciendi, neque vero solum aliorum, sed sua quoque facta, quocumque demum modo ab ipso sint perpetrata, vtrum vel ita sint comparata, vel et ab aliis probari possint, vel ita, vt et ipse et alii necessario ea contemnant.* Haec autem diiudicandi facultas nostra est ratio, quam *practicam* — liceat hoc vti vocabulo recepto — appellare ideo solent. Haec ipsa, quatenus, quid facultati humanae appetendi consentaneum sit, et quid minus, diiudicat, aperte nos docet, *instam aliquam esse legem omnibus ratione praeditis naturis.* Haec autem lex multum discrepat ab ea, quam legem vocamus naturalem, quamque olim eam esse dicebant, quae proxime ex naturali fluit obligatione. *Necessitatem enim agendi iniungit, ex naturae principiiis petitam, secundum rationem, vt aiunt, theoreticam.* Est igitur physica quaedam lex, quae hac nititur maxime propositione: *Facienda sunt ea, quae nos nostrumque statum reddunt perfectiorem, fugienda contra et omittenda omnia sunt ea, quae nos nostrumque statum reddunt imperfectiorem.* Omnia igitur redeunt hic ad nostri amorem, quo simul efficitur, vt minus aliorum salutis habeamus rationem. *Lex autem, quam nos moralem vocare solemus, e practicae ducitur rationis principiiis, optimeque est determinata, simulque vniuersalis.* Id quod probatur ex eo, quod omnis omnino natura, ratione gaudens, *ip*) Vide *BAUMEISTERI Elem. supra cit. pag. 383. §. 36. V.*

ipſius ſibi non ſolum conſcia eſſe poteſt, ſed cogitur. Eſt enim, ut cum KANTIO loquar, factum rationis practicae. q) Haec autem absolute praecipit, quid nobis ſit agendum, quid omittendum, ſine vilo ad noſtram utilitatem reſpectu. Eſt noſtrae adverſeatur actiones commodo vel aliorum vel noſtro, tamen recte ſe habent, modo iſti reſpondeant ex aſſe legi. Quod ſi forte paulo durius quibusdam videbitur, noſtra commoda poſtponenda adeo eſſe; conſiderent modo, non vera iſta appellanda eſſe commoda. Veris enim i. e. moralitatem noſtram ſpectantibus neſtquam repugnat recte agendi ratio. Hinc iam patet huius ab iſta lege naturali diſcrepantia, cui ex mente veterum virtus eſt accommodanda. Iſta eſſe poteſt mutabilis, neque adeo univerſalis eſt; haec vero immutabilis et univerſalis, quippe omnibus naturis, ratione donatis, quaſi innata ac inſita, r) neque ab experientia unquam pendens. s) Atque ex his iam noſtram deducere liceat de virtute

q) Videatur KANTII *Krit. der praſt. Vern.* pag. 56. his in verbis: *Doch muß man, um dieſes Geſetz ohne Miſſdeutung als gegeben anzufehen, wohl bemerken, daß es kein empiriſches, ſondern das einzige Factum der reinen Vernunft ſey, die ſich dadurch als urſprünglich geſetzgebend — ſic volo, ſic iubeo — ankündigt.*

r) Confr. F. W. D. SNELL's *Menon, oder Verſuch in Geſprächen, die vornehmſten Punkte aus der Kris. der praſt. Vern. des Hrn. Prof. Kant zu erläutern*; in quo auctor probare ſtudet, pagina ſcil. 18 ſqq. incultis quoque gentibus — teſtimonia FORSTERI, DE PAGES aliorumque ſectus — ſenſus omnino inſeſſe moralitatis.

s) Hoc ipſo in loco neſtquam praepoſtere egimus, ut nobis videtur, cum iam res pertractaverimus, de quibus in altera parte ſermo erit. Praepoſenda haec enim, quae hac in ſpho expoſuimus, neceſſario erant, ut eo melius virtutis definitio poſſet conſtitui.

tute sententiam. Est enim nobis nihil aliud, nisi: *viua reuerentia re-  
 fli, ad persciendam nostram, opprimendo cupiditates, quantum fieri pot-  
 est, sanctitatem*, s. omnino erga legem moralem obedientia, in consti-  
 tuendis nostris actionibus, ut iudices per eam nos aliosque perfectio-  
 res reddamus, sanctitatisque studium excolamus. Haec si rite per-  
 pendimus, nihil iis inesse inuenimus, quod nostrae aduersetur rationi,  
 quodque impuram nostram reddat virtutem, cum nihil ab experien-  
 tia ductum iis sit admixtum, ac, detracta omni vtilitate, sine vllis  
 praemiis fructibusque virtutem constare indicent. t)

## §. 10.

Praemissis his et philosophiae et virtutis notionibus, commode pro-  
 gredi nunc possumus ad id, cui altera disputationis nostrae pars de-  
 stinata est. Ostendendum scilicet est, quatenus philosophia nostrae  
 virtutis studium optime efficiat. Hoc, nisi fallor, opus optime absol-  
 vemus, si primum de iis agimus, quae in *theoretica*, quam vocant, phi-  
 losophiae parte, deinde vero de iis, quae in *practica* tractantur, ad no-  
 strumque pertinent scopum.

## C 2

## §. 11.

t) Praeclara sane sunt, quae iam PLATO hanc in rem libro *Politiae secun-  
 do* usque ad *quartum* disputauit lectu dignissima, quae omnia omnino  
 fere cum nostra conueniant sententia; et ea quoque, quae CICERO in  
*lib. de officiis* l. 9. scripsit: *Hoc ipsum ira iustum est, quod recte fit, si est  
 voluntarium*, et cap. 14. *Videre licet plerosque non eam naturam liberales,  
 quam quidam gloria ductos, ut benefici videantur, facere multa, quae  
 proficisci ab ostentatione magis, quam a voluntate, videntur.* --  
 Describit his in locis CICERO eleganter mores contra virtutem agen-  
 tium, itemque nobiscum conuenienter.



## §. II.

Si verum est, ut sane est verissimum, omnis philosophiae finem esse hunc, ut homo ad sui ipsius cognitionem diligentius adducatur, nescio quid nobis philosophia ad suscipiendum virtutis studium esse possit optabilius? u) Orditur enim, quod nulli omnino dubitationi est expositum, omnis philosophia a re quadam in facto posita, i. e. nititur ipsa, ex mente fere omnium recentiorum philosophorum, principio aliquo summo, quod negari ne ab incultissimo quidem potest; cuique, nisi fallor, perpauci modo fidem denegare sunt conati. v) Est enim summum illud principium *nostri conscientia*, cui primaria haec, quae in eiusmodi iure requiritur principiis, inest nota, ut cetera principia omnia rite ex eo deduci possint. Omnes vero eius hic enumerare notas, neque loci neque temporis est, cum iam quilibet, hanc ipsam rem diligentius perpendens, veram eam esse statim sit obseruaturus. w) Philosophia igitur, duce conscientia, quippe qua tanquam columna

u) Adiuuare nos ac praeparare philosophiam ad studium virtutis, exponere mihi videtur Exc. SCHMID, Philos. Ienens. in: *seinem Versuche einer Moralphilosophie*, ed. 2. p. 803. §. 645. *Was nur irgend etc.*

v) Nuperime scilicet fidem denegavit isti summo principio Exc. ABICHT in: *Hermias, oder Auflösung der die gültige Elementarphilosophie betreffenden ostendenden Elementarischen Zweifel*, Erlangen 1794; eoque loco ponere ei placuit principium animationis: *Satz der Befehlung*, quo omnis ipse nititur *philosophia element.* quae ipso prodiit anno, Erlang.

w) Rogamus potius lectorem, hanc rem diligenter tractare cupientem, ut adeat librum, acuto ingenio conscriptum, huius indicis: *Von dem Bewußtseyn, als allgem. Grunde der Weltweisheit*, qui prodiit anno 1793, Erfort.

saxea nunquam peritura quasi suffulcitur, nos dilucide edocet, quae-  
nam nostra sit natura, quibusnam quisque polleat viribus ac virtutibus.

§. 12.

Nimirum *primum*, ut nunc per partes rem nostram illustremus, phi-  
losophia nos edocet, quaeenam nobis sit cognoscendi facultas. Quod  
cum fieri non possit, nisi antea de subiecto pariter ac obiecto disserue-  
rit, a quo quid cognosci debeat, exponit, *quid sit repraesentatio, eam-  
que esse docet id, cuius nobis conscius sumus per nos ipsos, tanquam a no-  
bis ipsis*, — a nostra mente — subiecto — et obiecto quodam diuersi,  
quodque tamen ad nostram mentem pariter ac obiectum referatur. x) His  
expositis, transit ad subiectum ipsum, eiusdemque nos nobis omnino esse  
conscios ponit; attamen vero et ad ipsum, et ad repraesentationem,  
et ad obiectum referri, ac simul ab ipsis distingui debere affirmat.  
Cum autem res sit in facto posita, y) nos ipsos extare, non de existen-  
tia nostrae mentis plura proponuntur, sed de facultatibus potius, qui-  
bus nostra mens sit praedita. Quando enim in philosophicis de sub-  
iecto per se spectato disseritur, non ad existentiam sunt referenda,  
sed potius ad mentem nostram, quatenus ab ipsa repraesentatione di-  
ligenter distinguitur. De obiecto quid sentiendum sit, z) fere non  
est, quod addamus, cum per se appareat, eiusdem quoque nos nobis esse  
conscios, per subiectum — i. e. per nos — autem a nobis ipsis et a  
repraesentatione esse diuersum, repraesentationem tamen a subiecto  
diuersam ad illud transferri.

C 3

Haec

x) Vide KANT'S *Krit. der rein. Vern.* pag. 242.

y) Vide Eiusdem l. c. p. 399 sqq. z) Adeas Eundem lib. cit. p. 137.



Haec si rite tenentur, per omnem philosophiae ambitum sine vilo impedimento transire licet; sunt enim fundamenti loco quasi ponenda. a) Varias autem repraesentationum philosophia quoque enumerat species — repraesentatio enim est vox generica — atque differit de intuitionibus, conceptibus, ideis, b) sensationibus et cogitationibus quam acutissime. Antequam vero his repraesentationibus singulae indicentur, in quibus specialius exponi debent, disciplinae, philosophia nos edocet relationem subiecti ad repraesentationem pariter ac obiectum, atque hic fere sic versatur, quo simul theoria efficitur facultatis repraesentandi: Facultas mentis nostrae repraesentandi duabus constat partibus essentialibus, quarum *prima* eam, qua comparare licet repraesentationem, materiam suscipit, *altera* vero repraesentationum formam producit. Haec est KANTIO c) *Spontaneitas*, illa vero *Receptiuitas*. In hac nostra mens *actiue*, in illa vero *passiue* spectatur.

Obie.


- a) Ex his enim deduci potest, quatenam sit nostra repraesentandi facultas, cuius theoria ex nostra mente — sequimur enim recentiorum philosophorum hac in re praecepta — prima quasi est philosophia, cuius nomen plane indigne datum fuit olim ontologiae, et omnis philosophiae fundamentum dici haberique potest. Dignus est, qui legatur, locus REINHOLDI in 1 Th. *seiner Beyträge etc.* p. 189: *Alle Reformation der Philosophie* u. s. w.
- b) Vox *idea* saepenumero usurpatur quoque de aliis repraesentationibus, quod quidem est vituperandum. Qua de re non inepte *quinque* repraesentationum philosophia constituit species, ac vnicuique singulare indidit nomen. Cf. KANTS Kritik d. r. Vern. p. 376 sqq.
- c) Vid. librum KANTII, iam saepius laudatum: Kritik d. r. Vern. p. 74 et alibi saepius.



Obiecta autem menti nostrae offert *sensualitas*, e qua igitur omnia proveniunt, quorum nobis aliquam comparare possumus cognitionem. Ut his vero, quae nobis ita offeruntur, seu, ut materiae detur forma, negotium, formam induendi, suscipit intellectus; ratio vero nostra sensu strictiori efficit, ut ex iis, quae nobis fuerunt oblata, ope intellectus coniuncta, rite proferatur repraesentatio. Haec singulis capitibus nostra pertractat philosophia, atque partim, ex nostra mente, *Logicae*, partim *Metaphysicae* tribuit. Fidem enim denegamus sententiae eorum, qui *Psychologiam empiricam* quoque ad theoreticam referunt philosophiae partem, cum philosophiam *puram* solum esse debere contendamus. Argumentum enim, quo viri docti istam suffulcire student sententiam, psychologiam empiricam scilicet ad theoreticam philosophiae partem pertinere, sufficere mihi nequam potest, cum contendunt: eatenus hanc ipsam in philosophia primo loco esse ponendam et explicandam, quoniam a rebus, in sensus incurrentibus, ad transcendentia ascendamus necesse sit. d) Fauere potius licet sententiae KANTII, e) etsi obtrudi nobis nequam potest, in omnibus omnino nos in ipsius iurasse verba. Logices quidem praecepta dilucide tradunt, quomodo et nobis conceptus liceat comparare, atque quae vera sunt, diiudicare a falsis, vel in uniuersum cogitandi leges proponit.

d) Vid. Excel. POZZITZ in *seinem Lehrbuche für den ersten Coursus der Philosophie* in Praefat. p. IX.

e) In: *Kritik der reinen Vernunft* p. 876. Die -- nemlich empir. Psychologie -- komme dahin, wo die eigentlich -- empirische -- Naturlehre hingestellt werden muss, nemlich auf die Seite der angewandten Philosophie. -- Gleichwohl wird --- p. 877. -- können.



ponit. *Metaphysica* vero, quae vocatur, scilicet *naturae*, — qua appellatione opponitur *metaphysicae morum*, — altera theoreticae philosophiae pars, in eo versatur, ut nobis vel ostendat notas eorum, quae per intellectum et sensualitatem repraesentari possunt, atque iure ideo appellatur obiectorum scientia, quatenus — obiective — a nobis cognoscuntur; vel etiam eo nititur, ut nobis exponat, quae modo *pura ratione* repraesentantur obiecta, scilicet quae cogitari solum queunt. Quatenus haec iam iam indicatum sequitur negotium, vocatur *metaphysica naturae transcendentalis*, illa vero *sensualis*.

## §. 13.

Ex his omnibus satis cuilibet apparebit, *omnia*, quae hucusque breviter sunt exposita, *effici ratione nostra*, quatenus ipsa nostram ad obiecta facultatis cognoscendi rationem disquirere sustinet. Quatenus autem solum haec in re versatur, eam appellare solemus *theoreticam* vel *naturalem* vel *speculativam*. Ex hoc autem ipsius negotio, quod iam per se patet, id fluit, ut nobis ostendatur, quaenam mentis nostrae vera sit indoles ac vis, et quaenam sint ipsius virtutes, ut intelligamus, quomodo ope harum virium virtutumque peruenire liceat ad cognitionem et ipsius nostrae mentis, et obiectorum, sensibus mentique ipsi obuiorum, dum indicatur relatio, quae inter nos, seu rectius, nostram mentem ac obiecta nobis oblata intercedat necesse est.

At quomodo tandem haec ad nostrum pertinent scopum, qui in eo versatur, ut ostendamus, *philosophiam efficere virtutem*, s. *ipsum esse*


*esse matrem?* Scilicet varia, ad virtutis cognitionem perueniendi, sunt media, *remotiora* pariter ac *propiora*. Illa quasi praeparationes, s. exercitationes potius mentis nostrae dici possunt, quarum ope eo peruenire licet, vt intelligamus, quanam, qualisque sit virtus. Ad haec remotiora omnia pertinere nobis videntur, quae nos theoretica philosophia — eo, quo nos eam sumimus sensu — docet. Dum haec enim facultatem nostram cogitandi, diiudicandi et reliquas non modo indicat, sed quoque excolit, ac firmitores reddit, simul efficit, vt ea fundamenti quasi loco quam firmissime ponantur, vnde oriri ac crescere quoque virtus nostra debet. Est enim ipsa iis ipsis non consilii; tamen ea, quae in sequentibus exponuntur, locum habere non possent, nisi harum virtutum praecesserit exercitatio. Quid enim saepius nobis obstat, quo minus virtuti recte studeamus, nisi partim manca, partim falsa adeo et minus distincta, quae sequimur, principia, quibus efficitur simpl, vt de nulla omnino re rite iudicare, neque nostras actiones sub principia certa subsumere possimus?

## §. 14.

Sed haec haecenus. Limpidiorem enim purioremque quasi adhuc inuenimus fontem, vnde manare contendimus veram virtutis cognitionem, et vnde nobis iam melius ac certius apparebit, veram esse, quam posuimus supra, sententiam, philosophiam scilicet efficere virtutem, seu sola philosophia nos peruenire ad verae virtutis cognitionem eiusdemque studium. Est autem ille fons *philosophia*, quam ita vulgo vocamus, *practica*, quae in eo maxime versatur, vt omnia ea exponat ac diiudicet, quae ad nostram pertinent appetendi facultatem.

D

§. 15.



Nimirum inest omnibus omnino hominibus *facultas* quaedam *appetendi*; haec ipsa autem sibi fines quasi sumit, intra quos vires suas exerceat, quique vel in perficienda summa felicitate, vel in consequendo summo bono, i. e. summa moralitate cum felicitate coniuncta, cui quidem illa praecedat necesse est, spectantur. Duplex igitur istius facultati inest indoles, altera, quae voluptatem, altera vero, quae rationem sequitur. Illa igitur modo definitur per singulas sensuum affectiones iucundas iniucundasque, in quibus nullum intellectus, vel rationis negotium reperitur. Atque in hunc finem facultatem nostram appetendi vocamus — sit venia verbis! — *puram sensivalem*. Quatenus vero haec per ipsam definitur rationem, normam finesque indicantem, vocatur *pura rationalis*. Si materiam istius spectas facultatis, eadem est, quae nobis facultate repraesentandi offertur; si formam, reperies, eam niti relatione nobis repraesentati ad nostros appetitus, qui sunt tanquam ipsius effectus.

## §. 16.

His vero aliquid accedit, quod inter haec duo, quae scilicet vel felicitatem spectant, vel moralitatem, distinguit, quodque libere ex his eligit. Solemni voce id *nostram* appellamus *voluntatem*, quae ipsa agit, nec aliis rebus suam debet conditionem, neque igitur a conjunctione aliarum rerum pendet, hocque nomine *libera* dici potest. Hac sola voluntatis nostrae libertate cernitur entis moralis verus *character*, quo sublato, tolleretur simul id, quo solum ad nostram pervenire

venire licet moralitatem, quae modo, sensu quidem latiore, cernitur in relatione actionum nostrae voluntatis ad indolem, suam cupiditatem vel adiuuandi, vel opprimendi.

## §. 17.


Rationem autem ipsam ab ista differre voluntate, non est fere, quod addam, cum omnibus appareat, voluntatem quasi medium rationem inter et sensualitatem occupare locum. Imo contendimus potius, inesse rationi quamdam vim definiendi, quid a voluntate sit eligendum, quidue spernendum. Ratio enim nostra, quam huius negotii causa practicam vocare solemus, sequitur aliquam legem, quam sibi ipsa quasi praescribit, cuius ope vel, ut voluntas bonum, i. e. quod appetendi facultati nostrae conuenit, eligat, vel malum, i. e. quod isti aduersetur facultati, spernat, efficit. Est autem haec ipsa lex illa, quam *morallem* vocare solemus, quoniam nostram in praecipiendo spectat moralitatem, omnibus quasi insita et innata, atque a nemine nobis vniquam data. Iure ipsam KANTIVS f) hoc nomine *factum* vocat *rationis*. Induit vero illa, de qua nunc sermo est, rationis nostrae lex, — ut cum nostris loquar philosophis — *imperatiui* quasi *formam*, g) quatenus accurate definit, quid suscipiendum sit agendumue, etsi etiam nunquam perficitur. His ipsis enim maxime cernitur discrimen, quod

D 2

inter-

f) Vide §. 9. not. q.

g) Vide saep. laud. KANTIVM, et in *Krit. der pract. Vern.* p. 57. et *Krit. der rein. Vern.* p. 830. et denique Eiusdem *Grundlegung zur Metaph. der Sitten*, pag. 37.



intercedit inter illam legem et eas, quas naturae vocamus leges, quae modo ea, quae vere sunt, spectare queunt. Eadem de causa et practica illa solemniter nuncupatur nomine. Cum autem ipsa lex praecipiat, quomodo recte sit agendum, cumque eo ipso agendi ratio nostrae voluntatis definiatur; dici nequit, voluntatem ab ea cogi, id quod iis aperte repugnaret, quae antea h) de ipsius libertate adposuimus; inesse, dici solum potest, quandam relationem inter ipsam legem et voluntatem, subiective quidem et aliter volentem. i) Cogi enim humana voluntas nullo modo potest, dummodo ipsa lex non plane omnes sensationes, quae quasi voluntatem ad agendum inuitant, tollat; id autem si faceret, plane superflua esset; etenim nihil esset, quod ipsi repugnare posset.

§. 18.

Hanc autem legem esse sanctissimam, nemo erit, qui negare velit, cum ipsa originem ducat ab aliquo numine, cuius existentiam sumere, ipsumque credere nostra nos edocet ratio, eaque de re eo lubentius est accipienda. Etsi autem hoc non certum esset, quod tamen est certissimum; tamen sensus quidam recti nos perduceret, ut ipsius praecepta, quantum a nobis fieri potest, exsequeremur. Est enim iam per se et candida et magnifica, adeoque nos, ipsi aduersantes, saepius impellit, ut conuenienter ipsi agamus, etsi nostras opprimere iubet  
propen-

h) Scilicet §. 16.

i) Conf. KANTII *Metaph. der Sitten*, p. 37. sub fin. p. 38. 39.

propensiones pariter ac cupiditates. Cuius quidem legis voce quamquam non raro oppressa, a multis libentius ea peraguntur, quae magis conueniunt suis cupiditatibus; tamen et in his ipsis quaedam elucet, quae aperte indicant, inesse iis recti quendam sensum. Sin huic legi conuenienter agimus, neque ei debitam denegamus reuerentiam, tunc dici iure potest, *esse nobis virtutem*. Opprimenda vero sunt hunc in finem ea omnia, quae ita sensualitatem nostram afficiunt, vt recti studium negligamus, quod eo certius fieri potest, quo attentiores sumus ad legis nostrae moralis nobis inditae vocem.

§. 19.

Quibus omnibus diligenter consideratis, quis non videt, vel maxime nos sic ad virtutem adduci? Quis igitur neget, philosophiam quam plurimum conferre ad parandam verae virtutis notitiam?

Iam vero luce clarius, opinor, apparet, quam apte factum sit, quod vberius supra exposuerimus, quae practica pertractat philosophia, cum nempe nunc demum rite ostendi possit, quonam tandem modo perueniendum sit ad virtutis notitiam. Scilicet optime praemittitur disquisitio facultatis nostrae appetendi, qua nobis alicuius sumus confecti indigentiae, cuius ipsius sensus quidam naturalis nos admonet. Per voluntatis autem vim simul intelligimus, nobis non solum optanda esse, quae mens nostra appetit, sed perueniri ad ea quoque posse.



Maxime vero ad nostram rem spectat disquisitio voluntatis nostrae, quatenus eam indies sanctiorem reddere studemus. In his enim est quasi nodus, qui, cum soluitur, totam rem clariorem nobis reddit. Ducimur enim ad legem moralem, sanctam, omnes laudes superantem; haec est instar aquae, vti supra diximus, in qua intueri nostram licet naturam; non quidem physicam, sed moralem. Haec definit, vtrum vera esse possit virtus, nec ne? ipsa enim indicat, sic, nec aliter esse agendum, si recte agere velimus. Quo quidem modo si summam sui in nobis efficit reuerentiam, si nos impellit, vt in agendo semper istius legis vere habeamus rationem, tunc veram efficit virtutem, qua nihil est iucundius, nihilque homini optabilius.


Sed eo ipso simul, cum philosophia ad legem nos adducit moralem, ratione practica latam, nos nostras opprimere iubet cupiditates. Lex enim moralis iis plane aduersatur, atque tum, cum nos illis tradimus, necesse est, vt legem istam sanctissimam violemus. Nihil igitur superest, quod addi possit ad veram efficiendam virtutem, cum praestantissima philosophia non solum fontem, e quo solo virtus manare debet, sed modum quoque et viam, eo perueniendi, doceat, indagansque, vtrum nobis insint quoque vires ad virtutem amplectendam, anam ipsa nobis praebat, facilius nostram perficendi moralitatem.



## §. 20.

En, quanti faciendae et aestimandae sit omnis philosophia, maximeque, quam nunc pertractauimus, ipsius pars, cum nulla, nisi hac via, peruenire liceat ad normam istam, seu legem, cui attemperandae sunt nostrae actiones, quaeque si recto animi sensu, i. e. reuerentia istius legis perficiuntur, virtutem esse nobis iure dicimus. Sed iam accedit his adhuc quaedam scientia, quam philosophia singulatim pertractat. Est haec *ius naturae*, uti vocatur. In hac vero, ut perfecte omnia tradat philosophia, ostendit nobis, quomodo actiones, legi morali conuenienter susceptas, coniunctim etiam cum aliis ad ipsam referamus. Atque et hic usus est philosophiae haud spernendus; cum scilicet satis constet, quam saepissime nos amore nostri ductos agere. Ius autem naturae cuilibet satis dilucide declarat, omnibus paria esse tribuenda, h. e. omnium augendam esse perfectionem — moralem — felicitatemque, atque omnes omnino iure haec a nobis postulare posse; indicat simul modum, qui in agendo tenendus sit, atque, ut omnia vno complectar, docet, quomodo rite virtutem exercere et in alios possimus.


Haec si omnia colligimus, vnoque quasi obtutu perspicimus, haec nobis statim se obtrudit cogitatio: Felicem sane esse eum, qui, amore philosophiae ductus, in his habitat pernoctatque cogitationibus,  
 felicem



felicem etiam, quem idem amor a rebus occultis, et ab ipsa natura inuolutis ad vitam communem adducit, vt virtutem solam amplectatur, cui — vt PLATO ait — quicquid auri vel supra terram est, vel sub terrae visceribus occultatur, nequaquam satis digne conferri potest.

## §. 21.

Caeterum addendum sub finem et hoc nobis videtur, facile responderi posse ad obiectionem, quae a nonnullis forsitan, vt nobis animus noster praesagire videtur, quasi in promptu est, illam scilicet, qua nos accusent, abnegare nos illis virtutis notitiam, qui philosophiam colere nequeunt. Sed nobis quidem videntur ea, quae hac in re philosophia efficit, cum omnibus fere hominibus facile communicari, h. e. doceri posse, omnes actiones, repraesentationes, appetitus et sensus eo ab omnibus debere referri, vt semper rationem habeant finis, quem hic consequi debent. Quam quidem regulam quicumque constanter sequuntur, philosophiae praeceptis conuenienter viuunt, virtutisque studiosi omni iure vocari possunt.




...  
...  
...  
...  
...

Wittenberg, Diss., Ergbd. 7, 1792-96  
vol 18



f  
Sl.





454

1928 K 944

DE

PHILOSOPHIA VIRTUTIS MATRE.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

QVAM

PRAESIDE

IOANNE DANIELE TITIO

PHYSICES PROF. PVBL. ORD. FACVLTATIS PHLOS. SENIORE, SOCIET.  
OECON. LIPSIENS. ET BAVAR. LIBERAL. ART. LIPS. ET IMP. AVGVST.  
SOC. LAT. ET TEVT. IENENS. TEVT. ERLANG. ET ANHALT.  
SOD. HON.

D. XII. SEPTEMBRIS MDCCCCLXXXV

H. L. Q. C.

PVBLLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES CAROLVS HENRICVS DE ZOBEL

PHILOSOPHIAE ET LIBERALIVM ARTIVM MAGISTER  
AC REVER. MINISTERII CANDIDATVS

VITEMBERGAE

LITERIS TZSCHIEDRICHII.

1495

7/12a

13

